

✓



ULB Halle 3
 005 090 784


089 200, Kapsel (29)





47
שש
EXERCITATIO ACADEMICA,
DE
SPIRITU IN-
FINITO,

Quam
Moderatore
DEO TRINUNO,
SUB PRÆSIDIO
M. ADAMI ERDMANN MIRI,

Adorfiâ Varisci, Seren: ac Potentiss:
Electoris Saxoniae Alumni,

in
Electoralibus ad Albim placidæ
Eruditorum exercitiis ex-
ponit

CHRISTIANUS Gotthelf TEUPITIUS,
Lütrecensis Saxo:

Phil: Studiosus.

Ad diem 5. Martii. A. C. M. DC. LXXXI.

loco horisq; consuetis.

WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS WILCKII.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK

SEPT 11 1871

LIBRARY

MAGNIFICENT

DEPARTMENT

M. ADAM ERDMANN

Adolph v. ...

Erasmus ...

Erasmus ...


CHRISTIAN ...

...



08 B 200, Kapsel (29)





J. N. J.

PROOEMIUM.



Ullam gentem neq; tam immanſvetam, neq; tam barbaram eſſe, quæ non aliquam Dei notiam habeat, pulchrè *Romanus ille Sapiens lib. 1. de legibus* annotavit. Et quid mirum? Si enim hanc mundi machinam & corporis & animi oculis percurrimus, illamq; admirabilem innumerabilium ſtellarum ſine ullâ erratione decurrentium varietatem ſaltem notamus, facilè (ut verba *Mureti Orat. 3. part 2. mea* faciam) intelligemus, præpotens aliquod Numen exiſtere oportere, immenſum, infinitum, æternum, quod illi tantæ moli præſideat, à quo & hæc rerum univerſitas à principio conſtituta ſit, & ejus conſilio ac voluntate regatur. Non enim capit humanæ mentis cogitatio, ut ſunt verba *Job. Ludovic. Viv. de Verit: ſid: Chriſt: l. 1. c. 9.* rem ullam feciſſe ſemet ipſam; cuncta itaq; ab alio eſſe facta colligitur. Multo minus aſſenſum meretur *Epicuri* delirium, univerſum hoc fortuito & caſu quodam coaluiſſe, pertinaciter aſſerentis; ſiquidem non ſolum aptiſſima in eò connexio ordoq; admirabilis contrarium evincunt; verum etiam unanimis conſenſus gentium omnium teſtatur, eſſe Numen aliquod ſupremum ac ſummum, à quo hæc omnia ſunt profecta. Quemadmodum igitur *exiſtentiam* Numinis hujus in priori diſſertatione pro ingenii modulo, & quantum per materiæ difficultatem ſubtilitatemq; licuit, defendimus; ita in præſenti, ulterioriſtæ diſtinctionis & inqviſitionis deſiderio ducti, ad *deſcriptionem* ejusdem nos accingimus. Cum vero mens noſtra ad lumen veritatis æquè ſe habeat, atq; τὰ τῶν Νουτιγιδων ὀμματὰ πρὸς τὸ Φεγγυος μετ' ἡμέραν dicente *Philoſopho lib. 2. Met. 1.* veri luminis & Numinis ductu opus eſt. Tu itaq; , Deus alme,

A B

Huc

*Huc ades, & clausos aperi mihi mentis ocellos,
Ut ducar Sophie vera docentis ope!*

§. 1. Ut autem inoffenso pede in arduâ hâc doctrinâ progredi liceat, sub auspicio nostri laboris, ne videamur tantum cum larvis pugnare, ad ejus ὀνοματολογίας accessum paramus. In hâc vero considerandâ primò *Etymologia*, seu nominis Dei derivatio se nobis sistit, de qua Eruditi magnopere dissentiunt atq; contendunt. Quia enim Deus, tanquam nomen Entis, quod nobilissimum ac eminentissimum est, rectè ad singula duci potest, ut fateatur *Fonsæa lib. 1. Dial. c. 26. 27.* hinc tanta derivationum diversitas penes Eruditos nata est. *Aliquibus* nomen Dei placet deduci ἐκ τῆς θεΐου, quod significat movere, currere, quia Deus percurrit omnia, quo de *Plato* habet in *Cratyllo*, quod Ethnici, cœlum pro Deo agnoscentes, ejusq; congruam ac perpetuam motus celeritatem observantes, motorem istum appellaverint θεόν, à celeri ejus cursu. Vide hac de re *Subtilitatum Magistrum* prolixè differentem *Exerc: 365. subt. 4.* *Alij* statuunt, dici à θεῖομαι, video, idq; ideo, quod de sublimi throno suo omnia prospiciat atq; advertat, quæ in hoc terræ amphitheatro geruntur. Quo & illud *Homeri* pertinet: ἔχει θεὸς ἐκδιπλὸν οὐμα. Cernit Deus omnia vindex. *Alij* deduci contendunt ab αἰθερῷ, adurere, quia Deus habitus vitiosos veluti ignis consumit. οὐ γὰρ θεὸς, inquit *Damascenus*, πῦρ καταβάλισκον πᾶσαν κακίαν εἶναι. *Alij* alias originationes quærent, & deducunt vel ab Hebræo יי, quod Deus sit sibi soli sufficiens; vel à δαΐειν, quod epulum præbeat omnibus conservetq; omnia; vel à δεῖν, quod liget, & suo imperio quasi vincat cuncta; vel à nomine δέω, quod sit tale Ens, cui semper debeatur timor; vel ab Æolico Ζεὺς, quod respondet Græco θεός, quo Iovem suum appellabant Ethnici; vel deniq; παρά τὴν θεῖον, à positione, ordine & administratione, quia Deus omnia numero, mensura & ordine disposuit. Verum confundunt allusionem cum nativâ derivatione. Probabilius enim est, vocabulum Dei esse primitivum quam derivatum. Si quis tamen ejusmodi derivationibus delectatur, adeat *Damascenum lib. 1. de Orth: fid: c. 12.* *Scaligerum Exerc: 365. f. 4.* *Scheiblerum cap. . lib. 2. Met: art. 2. tit: 2.* *B. Scharffium lib. 2. Pœnym: cap. 22.* *Christianum Becmannum de Originibus aliosq;.*

§. 2.

§. 2. Ut autem de dubiâ hac & ambigua voce indubii quid afferre liceat, ab eo cum primis puncto linea ducenda erit, quod homonymiam nobis tollat. Errori siquidem affinis est ambiguitas, & sine distinctione vocis ambiguae velle ad rei considerationem venire, est tempus perdere. Esse vero vocabulum Dei ambiguitati obnoxium, variae ejus, quas involvit, significationes satis ostendunt. Sumitur enim (1) *abusive* pro Θεῶ Φαινόμενῳ & Diis gentilium fictis. Hos initio vel res corporeas fuisse, ut Solem, lunam, & quae reliqua est coelestis machina; vel incorporeas, ut Dæmones, Seldenus lib: de Diis Syr: cap. 3. prolegom. p. 25. annotat; ubi simul addit, ex duobus hisce generibus ortum fuisse, quicquid nugax & impia posteritas, πολλοὺς Θεοῖηα amplexa, sanctuariis suis adjecerit; (2) *Nuncupative & Metaphorice* pro Θεῶ λεγόμενῳ. Et in hoc sensu tribuitur *partim* magistratui, quia officium divinum in his terris gerit, adeoq; quasi loco Dei est; *partim* viris claris, qui propter virtutis splendorem meritaq; præclara ab aliis instar Dei coluntur. Qua ratione Philosophus lib. 1. Polit: cap. 2. & lib. 7. Eth. c. 1. ex versu Homeri infert, homines δὲ ἀρετῆς ὑπερβολῆν Θεῶς γίνεσθαι, & ipse etiam Plato ob ingenii, quâ natura eum exarmaverat, nobilitatem Philosophorum Deus olim salutabatur. (3) *Essentialiter ac proprie* pro Θεῶ ἀληθινῶ, quando videlicet Ens illud supremum atq; summum notat, a quo totum hoc universum, & quicquid ambitu ejus continetur, est profectum. Quo de confer Ebelium in Colleg: Metaph: disp: 3. sect. 2. art: 1. part: special.

§. 3. Varia alias in variis lingvis Dei dantur nomina. Apud Ebraeos enim appellatur יהוה, יהו, יהוה, אלה, אלהים אלהים &c: Nomina, quibus à Graecis insignitur, potissima sunt Θεός & ὑψίστος. Quae quoniam sufficienter exposita sunt à Magnif: Dn: D. Calovio in Theol: Nat: Revel: & Tom: 2. System. Theol. c. 2. p. 117. nec non à B. Klotzio Theol: Nat: disp. 4. p. 110. evolutioni istorum diu immorari, supervacaneum ducimus. Huc pertinent & illae denominationes, quae Deo ab Aristotele passim tribuuntur. Dicitur enim ὁ, seu Ens lib. 12. Met. cap. 7. ἔσθ' ἢ οὐκ ἔσθ' ἢ οὐκ ἔσθ' ἢ οὐκ ἔσθ' lib. 12. Met. cap. 6. 7. 8. αἰτίον ἢ ἀρχή l. 1. Met. c. 2. κινῆν πρῶτον primum movens lib. 8 Phys. c. 6. πρῶτη καὶ ἀρχαιογενὴς αἴτια prima & princeps causa lib. 12. Met. c. 8. Σωτήρ conservator lib. de mundo &c. Latinis dicitur Numen, quia quasi nutu sive voluntate suâ omnia dirigit

dirigit ac gubernat. It: Dominus, eo, quod absolutissimo imperio in hac rerum universitate dominetur, atq; ubivis singula disponat, sicuti ipsi placet. Vocatur quoq; Ens entium, quia maiestate & potentia cuncta superat, iisq; praest potentissime. Nos Germani Deum, appellitamus Gott/quasi qui a beneficiendo & bonitate Dei eminentissimâ, quâ ratione Plato eum definivit, quod sit auctor boni in natura. Reliqua synonyma una cum titulis honorariis ex variarum lingvarum fontibus petenda sunt.

§. 4. Expeditis iis, quæ ad nominis evolutionem facere videbantur, ad definitionem realem progredimur. Quia verò in illâ constituendâ magna penes Eruditos discrepantia occurrit, dum alii Deum definitione exprimi posse perhibent, alii verò in negativam abeunt sententiam, haud injucundum fore arbitror, si, priusquam ad rem ipsam progrediar, paulò accuratius indagaverò, utrum priorum, an verò posteriorum sententia veritati proximè respondeat.

§. 5 Illis, qui cum *Scoto* affirmativam propugnant sententiam, annumerantur *Robertus Holcot*, *Gregorius*, *Marsilius*, aliiq; citati à *Vasquetio Tom. 1. p. 69.* Quibus suffragantur *Fonscalib. 5. Met: cap. 7. qv. 7. Petrus Ramus lib. 4. Schol: dial. c. 6. Piscator Volum. 1. Theol. lib. 2. Franciscus B. Spei. Tract: 4. Log: disp. 2. dub. 3. Vorstius in tractatu de Deo p. 189. Job: Zeisoldus disp. 2. Pnevm: gen: art: 2. part. 3. aliisq; plures.* Ratio asserti est, quia, ut *Scotus* ait, dabilis est conceptus unus communis Deo & creaturis, prædicabilis de eis in quid, & primo modo perse, qui est loco generis; dabilis item est conceptus proprius, soli Deo competens, eumq; ab omnibus aliis discernens, qui est loco differentia. Hinc colligit, tam verum esse, quam quod verissimum, quod Deus definitione gaudeat. Negativam verò defendunt *Cyprianus*, *Hilarius*, *Augustinus*, *Thomas*, *Bonaventura*, *Durandus*, *Capreolus* &c: Quorum vestigiis insistent nostrates & *Theologi* & *Philosophi*. Ex illis quidem *Brochmannus System. Theol: de Deo*, *Dorschæus Theol: Zachar: part 1. qv. 32. Magnif. Dn. D. Calovius loc: cit: Dn. D. Deutschmann. Theol: Positivo Polem: de Essent div: Th: 4. &c.* *E. Philosophis vero Scheiblerus lib: 2. Met: c. 3. Ebelius Colleg. Met: disp: 14. Klotz Theol: nat: d. sp. 4. th. 5. Scharffius in Pnevmat: part:*

*Special: de Deo c. 2. Meierus part spec: de Deo sect. 3. prob: 3. aliqd
plures.*

§. 6. Sicuti vero eorum sententiam, qui negativam tenent, verissimam duco; ita, priusquam eam confirmare aggrediar, de statu controversiæ, quem vocant, aliqua mihi monenda erunt. Notandum vero (1) non de qualicunq; descriptione hic controversi, quæ vel ab aliqua Dei actione, vel à quocunq; attributo, sive uno sive pluribus peti, & vel propriâ vel tropicâ locutione exprimi potest, (cujusmodi permultæ non minus apud profanos Scriptores, quam in ipsis etiam sacris literis extant;) sed de ejusmodi definitione, quæ rem cognoscit, quid sit, concipiendo aliquod prædicatum quidditativum, non solum commune, sed & proprium. Hanc definitionem (2) dispendimus in perfectam ac in rigore talem, quam alias quidditativam vocant; & in aliqualem descriptionem, quæ nomine quidditatis alias venit. Ad illam ex sententiâ plerorumq; requiritur (a) ut res definienda sit in prædicamento, (b) ut definitio ejus constet ex genere & differentiâ propriè sic dictâ, (c) ut definiti prædicata essentialia ad ultimam usq; differentiam attingat; seu, ut totam rei quidditatem, supposito conceptu, sistat intellectui. Ad hanc verò *Voëtius Theol: nat: c. 8. n. 1.* requirit (1) quâ *conceptum communem*, tum, ut nullus alius conceptus inter eundem & Deum intercedat, tum, ut monstratur convenientia cum aliis, tum, ut perfectiones essentialium generaliores omnes Deo tribuantur. (2) quâ *conceptum contrahentem*, ut (a) nullum agnoscat se prius attributum ratione modi nostri intelligendi, (b) ut soli Deo sit proprium, eumq; ab omnibus creaturis distingvat, (c) ut sit principium (puta non realiter, sed virtualiter causans juxta *Cajetanum lib. 1. poster Ana. 1. c. 2.*) radix & origo reliquorum conceptuum. Præsupponendum præterea (3) *genus* dupliciter sumi. Accipitur enim vel in sensu rigoroso, pro eo, quod de pluribus specie differentiibus in quid prædicatur; vel latius aliquanto, pro conceptu aliquo quidditativo, in quo plura essentialiter conveniunt. De priori quærimus. Deo enim competere conceptum aliquem communem posteriori sensu acceptum, vel ipsi adversarii largiuntur. Quod vero de genere monui, id etiam (4) de *differentia* notandum est. Sumitur enim *partim stri-*
ctè &

Et & in rigore pro eo, quod accidens est generis, & pars speciei, partim laxius pro aliquo conceptu proprio, cuius requisita supra recensuimus. Nos non negamus, Deo conceptum aliquem proprium tribui posse, sed illud tantum ducimus esse falsum, differentiam Deo in rigore illo Peripathetico competere.

§. 7. Negativam igitur amplectendam esse, patet (1) ex absoluta Dei simplicitate, quæ nullam omnino compositionem admittit. Non enim componitur Deus ex materia & forma, quia substantia non materialis, sed spiritualis est; non ex partibus integrantes, quia non est corpus; non ex Subiecto & Accidentibus, quia nullum accidens secundum effatum Philosophorum in Deum cadit: non ex actu & potentia, quia est actus purissimus, omnem omnino potentiam passivam excludens: nec reliqua compositionis membra in Deum cadere, fusius Meierus in Pneumatica: ostendit, hinc actum agere nolumus. Evincit porro negativam (2) Dei incomprehensibilitas atq; infinitas. Qualis enim, inquit Klotzius loc: cit: , cognitio, talis oportet, ut sit definitio; Quid enim definitio est, nisi rei cognitio? Deus autem quidditative, perfecte & intuitivè cognosci non potest; non igitur quidditative definiri, potest. Huc pertinet etiam B. Graueri assertum, in A. C. Præl: Acad: ita dicentis: Dei essentiam, ut in se est, nemo perfecte intelligere vel comprehendere potest. Si enim quispiam Deum, prout in seipso est, perfecte cognosceret, is aut Deo esset prestantior, aut eidem æqualis. Si quidem inferior superiorem perfecte cognoscere nequit, propterea, quod agens non est debilius patiente; intelligens autem & res intellecta (seu objectum) habent se quodammodo, ut agens & patiens. Atqui nemo vel superior est Deo, vel eidem æqualis. Nemo igitur Dei quidditatem seu essentiam, ut in se est, perfecte comprehendere poterit. Probamus quoq; sententiam negativam (3) ex defectu generis & differentia, quæ Deo repugnant. Etenim, si illud esset, tum Deus aut foret aliqua species, aut ad minimum Individuum logicum, sub aliquâ certâ specie contentum. Sed Deum speciem non esse, inde sufficienter constat, & quod species aliquod universale sit, Deus autem Ens singulare, imò singularissimum existat; & quod species relationem ad plura Individua, si non actu existentia, saltem possibilia inferat, in quæ multiplicetur; cum quidem plures Deos esse simpliciter repugnet. Jam verò

nec Individuum logicum Deus appellari potest, non tantum, quod Individuum non nisi de uno essentialiter prædicari possit, cum Deus de pluribus personis essentialiter enunciatur; verum etiam, quod Individuum, cum correlatum speciei sit, alia sibi individua in essentiâ similia admittat, quod de Deo affirmari non posse, certo certius est. Neq; Deo competere potest *differentia* propriè sic dicta, idq; ideo, quia fundamenti loco præsupponit certam speciem, cuius differentia est. Jam verò evictum hucusq; satis est, Deum neq; speciem neq; Individuum logicum esse; relinquatur itaq; nec differentiam ei competere posse. Hoc ipsum agnovit Zanchius quoq; lib. 2. de naturâ Dei c. 2. q. 1. ita scribens: *Sub nullo genere est Deus, cum sit primum & supremum ἰὸ ὄν, quod ad nullam speciem contrahi potest. At quæcunq; sunt sub aliquo genere, per differentiam specificam ad speciem aliquam contrahuntur, atq; sic partim sunt actu, partim sunt in potentiâ ad aliud.* Possem alia in super, eaq; firmissima argumenta de essentiâ Dei singularitate & æternitate addere, sed quoniam non est nostri instituti, diutius quæsito huic immorari, conferri poterit Meisnerus Philos: Solr. part. 1. quest: Met: qv. 3.

§. 8. Quemadmodum autem constitit hucusq; Deum definitione, ex genere & differentiâ propriè sic dictâ constante, exprimi haud posse; ita potèrò progrediendum nobis erit, atq; prolixius ostendendum, quænam sit illa descriptio, quam Deus admittat. Ante verò quam descriptionem aliquam certam subjiciam, adumbrationes quasdam divinæ essentiæ, quæ penes Eruditos reperiuntur, recensere placet.

§. 9. Antiquos olim vario modo Deum adumbrasse, ex eorum monumentis satis liquet. Trismegistus (ut B. Gerbardus in Exeg. loc. 2. de Deo & attrib: div. §. 91. annotat) Deum definiit, quod sit sphaera intelligibilis, cuius centrum sit ubiq; circumferentia nusquam. Quam descriptionem licet subtilissimus Scaliger falsitatis accuset Exerc: 362. ubi ait: *Pessimè medium assignat infinito, & circumferentiam qui dat, finitum facit. Tum si erit circumferentia ubiq;, erit in medio, & idem fiet centrum cum circumferentiâ*; non tamen simpliciter eam rejiciendam

B

esse

esse judicamus, quia symbolica est descriptio, Ægyptiorum sapi-
 entia profundissima propria. Accedit, quod verissima sit,
 Deiq; illocalitatem nec non omnipresentiam contineat. Ejus-
 dem conditionis quoq; illa *Pythagoræ* descriptio est, Deum per
 excessum maximorum numerorum supra proximum adum-
 brantis, siquidem hac ipsa nihil aliud, quam incomprehensibili-
 tatem ejus ratione nostri intellectus, demonstrare voluit: *Plato-
 nis* definitio hæc est: Θεός ἐστὶ ζῶον ἀθάνατον, αὐταρκές, πρὸς
 εὐδαιμονίας ἐστὶ αἰδῖος, τῆς τὰ γὰρ θεοφύσεως αἰτίας. *Cleanthes*
apud Clem Alex: in Protrept. p. 21. edit. Græc: describit Deum,
 quod sit ἀγαθόν, τεταγμένον, δίκαιο, ὁσιόν, εὐσεβές, κρατῶν ἐαυτοῦ,
 χρησίμου, καλόν, ἄδον, αὐκῆρόν, αὐθάλασον, αἰσχυρόν, ἀφο-
 βόν, ἀλυπόν, λυσιτελέον, ἀνώδυνον, ἀφελίμον, εὐχαρῆσον, ἀσφα-
 λές, φίλον, ἐνῆμον, ὁμολεγόμενον, εὐκλεές, ἀτυφόν, ἐπιμελές,
 πρᾶον, σφοδρόν, χρονοζόμενον, ἀμειψτόν, εἰ διαμένον &c. *Da-
 masceus lib. 1. cap. 2. de orig. fid. ita:* Ὅτι μὲν ἔν ἐν θεός ἀναρχός,
 ἀτελεύτητος, αἰώνιος καὶ αἰδῖος, ἀκτικός, ἀτρέπτος, ἀναλλοίωτος,
 ἀπλοῦς, ἁσύνθετος, ἀόρατος ἀναφής, ἀπεριγραπτός, ἀπεριμή-
 τος, ἀκατέληπτος, ἀγαθός, δίκαιος, πάντων κτισμάτων δημιουργός,
 πᾶν δύνάμις, πᾶν κράτος, πᾶν ἐπόπτης, πᾶντων προνοητής,
 ἔξουσις, κρείς, &c. *Juxta Aristotelem lib. 12.
 Met. c. 7. est ζῶον αἰδῖον καὶ ἄρῆον.* Cicero apud
*Laërtium lib. 1. c. 5. inquit: Deus ipse, qui intelligitur, à nobis
 non potest aliquo modo intelligi, nisi mens soluta quaedam ac li-
 bera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens &
 movens, ipsaq; prædita motu sempiterno.* Observatur & hæc
*Seneca descriptio l. 1. nat: dicentis: Quid est Deus? mens uni-
 versi. Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides to-
 tum.* Plures descriptiones ejusmodi qui desiderat partim Pa-
 trum, partim Philosophorum, adeat *B. Chemnitium Loc: Theol:
 part. 1. de Deo c. 3. p. 61.* Ut vero *B. Scharffius* optimè de adum-
 brationibus hisce l. 2. c. 2. Pnevum: judicavit, quod tantum à
 posteriori explanent, quid sit Deus, & è variis attributis ejus
 sint desumptæ; ita & nos iudicio ejus acquiescimus, nihil am-
 plius de istis monentes.

§. 10. Majorem vero difficultatem istorum mihi descri-
ptiones involvere videntur, qui essentiam divinam accuratius
exprimere gestiunt. Dum enim nimiam *ακριβεια* sectari su-
stinent, fit, ut sapius à veritatis tramite longè aberrent. Quibus
annumerandos illos ducimus, qui Deum *corpus* esse pronun-
ciant. Subsecuti autem sunt hunc errorem olim è *Gentilibus* *Dio-*
genes Apolloniaces, *Stoici* aliiq; ut est apud *Ciceronem* l. 1. de
Nat: Deor: & Damascen: de Heres: E. Judais, *Rabbini* veteres,
testibus *Justino* & *Origene* apud *D. Calovium* loc: cit, quos *Mabo-*
metani pleriq; sequuntur: Ex *hereticis* *Manichæi*, *Audiani*, *Soci-*
viani, aliiq; plures. Sunt, qui Deum definiunt, quod sit *Ens se-*
ipso tale ut *Voëtius Theol: Nat: c. 8. n. 1.* Alii, ut *Watsonius Sap:*
Met: c. 5. Substantiam Deum appellant. Nonnulli existi-
mant, essentiam Dei ratione nostræ cognitionis ita esse consti-
tuendam, ut à parte rei est. Cum verò omnia attributa Dei à
parte rei cum ipsa essentia divinâ identificentur, inde dicunt, o-
mnia prædicata esse de conceptu primo Dei, quæ sententia
quoq; *Svarezio disp. 30. Met. s. 6.* placet. Reliquas definitiones,
quæ passim penes *Autores* obviæ, non adducimus.

§. 11. Nobis istorum arridet sententia, qui Deum per
Spiritum infinitum exprimunt. Sicuti enim descriptio hæc
omnia, quæ supra à nobis determinata sunt, requisita continet;
ita omnium optima nec non accuratissima nobis videtur. Di-
cimus vero, *conceptum* Dei *communem* secundum modum no-
strum concipiendi esse *Spiritum*. Ubi tamen cum *Crellio de*
Deo & attrib: div: p. 107. per spiritum non intelligimus substan-
tiam ab omni crassitie alienam, qualem in corporibus oculo-
rum arbitrio subjectis cernimus; sed substantiam immateria-
lem, corpori, quæ: sumitur pro eo, quod habet molem corpo-
ream, & ex materia, & forma compositum est, contradistinctam.
Hunc autem conceptum determinabilem seu convenientiæ
esse, sine difficultate evinci potest. Est enim (1) conceptus Deo
essentialis, quia ille verè est substantia immaterialis: est (2) *larior*
Deo, quia & finiti, inq; completi ac incompleti spiritus sunt, &

de communi participant naturâ, licet per attributionis inæqualitatem: est (3) *proximus & immediatus*, quia nemini obsecum, Ens & substantiam esse remotiores & mediatos.

§. 12. Atq; ex his relinquitur, illegitimum & veritati minus congruum istorum esse assertum, qui Deum corpus esse perhibent. Contrariatur enim hoc (1) *disertissimis Scriptura dictis*, siquidem expressis verbis *Spiritus* appellatur *Job. 4. 24*, qui carnem & ossa non habet *Luc. 24. 39*. Repugnat id quoq; (2) *sana rationi*. Si enim Deus corpus esset, tum agnosceret aliquid se prius, à quo fuisset compositus, neq; adeo simplex, sed compositus esset, id quod utrumq; absurditatem quandam involvit. Atq; indè per se fluit, Deum spiritum omnino esse, quia inter duo substantiarum genera immediata datur oppositio. Idem quoq; ex absolutâ Dei perfectione relinquitur. Quoniam enim Spiritus genus perfectissimum substantiarum est, Deum ob perfectionem istam nec posse nec debere nisi ad hoc referri, manifestum evadit.

§. 13. Nec obstat, quod Deo in sacro codice sæpius membra corporea humaniq; affectus tribuantur. Si enim memores essent regulæ *Nazianzenis* *οὐδὲ ἀνθρώπων ἄνευ θεοῦ, ἀλλὰ θεοῦ περὶ ὧν ὁ θεὸς*, nunquam in tam absurdos, pervenirent errores. Solet enim, monente *Cyrillo*, scriptura sancta ea, quæ mentem excedunt, verbis nobis familiaribus significare, *ἀνθρώπων γὰρ ἔστιν, ἀνθρώπων ἢ γὰρ φηὶ διαλέγουσιν*, inquit *Procopius* in c. 3. *Esaiæ*. Quod prolixè quoq; ostendit. *B. Gerbardus* loc: *Th. t. 1. de nat: Dei* dicens: *Significantur res spirituales per hæc corporea, perinde, ut verbis hujus seculi futura vitæ conditio describitur. Sic cum Deo tribuuntur oculi, significatur ejus omniscientia, quod nihil eum lateat: Cum manus & brachia ei tribuuntur, significatur ejus omnipotentia, quod omnia agat & potenter operetur omnia in omnibus &c: Conf. *Glassium. Pbil: sac: lib. 5. tract. 1. c. 7.* Idem judicium ferendum erit de illis dictis, in quibus affectus Deo attribuuntur. Et enim, quia proprium irati est punire, Deo quoq; ira metaphoricè & per similitudinem effectus olet assignari.*

§. 14.

§. 14. Uti vero hucusq; constitit, gravissimè istos impingere, qvi membra corporea Deo attribuunt; ita nec eorum laudamus assertum, qvi Deum vel per *Ens*, vel per *Substantiam* definiunt. Quemadmodum enim constant, inter *Ens* & Deum, item inter *substantiam* & Deum inter jacere alium conceptum, Spiritum nempe; ita supra constitit, hunc (nimirum Spiritum) constituere conceptum Dei determinabilem & convenientiæ. Quapropter relinquitur, confundere eos conceptum remotum cum proximo, qvi aut *Ens*, aut *Substantiam* conceptum Dei contrahibilem faciunt. Cave tamen existimes, nos, dum hæc ita asserimus, inficias ire, Deum *Ens* esse, quod destructum in erunt haud pauci, qvi *Scaligeri Exerc: 365. sect. 6.* vestigiis insistentes, Deo ita compositionem tribui existimant. Ast imbecillitas tantum intellecto nostri in intelligendo hoc extorsit vocabulum, quia mens nostra non apprehendit simplicia, nisi per modum compositorum. Esse vero Deum *Ens*, non solum *Entis* definitio, quam sibi applicari permittit, evincit; verum etiam, quod de cunctis attributis, quæ in re ipsa nihil aliud sunt, quam ipsum *Ens*, participet. Adde quod *1o d.* disertis verbis vocetur *Apoc. 3. v. 4.* ut taceam, quam insulsum foret; Deum non-*Ens* aut nihil appellare. Eadem ratione exploratissimum nobis est, Deum esse *substantiã*, quia per se subsistit, quæ propria ac essentialis ratio *Substantiarum* est. Accedit, quod, si *Substantiam* non esset, accidens eum esse oporteret, cum inter *substantiam* & accidens immediata detur oppositio. Sed Deum accidentibus annumerare, nemo nisi mente captus ausus fuerit, quia accidens non solum *substantiã* ignobilius est, sed & universum hoc à nullo accidente proficisci potuisset. Interim tamen non statim inferendum, quod, quia Deus *Ens* & *substantia* appellatur, conceptus hi statim conceptum contrahibilem constituent, uti supra monstravimus.

§. 15. Cum vero præter conceptum *communem* ad rei descriptionem etiam conceptus *strictior* seu *proprius*, ut vocant, requiratur, ideo progrediendum nobis erit, atq; brevibus ostendendum adhuc, in quonam ille consistat. Sicut enim conceptus

materialis confusam saltem rei notitiam gignit; ita formalis intellectum nostrum in distinctiorem provehit notitiam. Putamus verò , ductum *Magn. Dn. D. Calovii & Königij l. 1. Theol. Pos. de Deo §. 36.* secuti, illum consistere *in Infinitate*. Hocq; probamus (1) *κατ' ἀπορίαν* quia consistit neq; in^{tu} dependentia, vel (ut Philosophi loqui amant) a seitate, nec in vita, nec in scientia, nec in immobilitate, nec in subsistentia, nec in imperio divino, nec deniq; in repræsentatione essentiae Dei ut à parte rei est, uti mox ostendemus. (2) *κατὰ ἕσιν*, quia Infinitas juxta tenorem requiritorum, quos supra commemoravimus, isti conceptui, qui à parte nostri intellectus, formali Dei rationi respondet. Etenim inest Deo (a) *immediatè secundum nostrum concipiendi modum*, quia nullus datur conceptus, quo mediante infinitas in Deo demonstrari possit (b) *est proprius soli Deo*, eumq; ab omnibus rebus creatis distingvit; nulla enim res creata datur, quæ infinitam habeat essentiam (3) *principium & radix est omnium attributorum*, quia ex infinitate, tanquam ex fonte omnia attributa promanant.

§. 16. Hoc tamen salvo eorum judicio, qui conceptum Dei primo proximum in *Independentia* seu a seitate collocant, dixerim. Fateor enim, rem esse intricatissimam, quæq; , quam potissimum subsequeretur sententiam, dubium me sæpius atq; suspensum reddidit. Maximè tamen stringens, ut *Independentiæ* anteferrem *Infinitatem*, argumentum hoc fuit, quod *Independens formaliter* id dicatur, quod non agnoscit prius, à quo *effectivè* esse suum habet; infinitum vero, quod nullos *essentia limites* agnoscit, ut ita ex *Infinitate* fluat *independentia*, & dicere liceat, ideo Deum à nullo *effectivè* dependere, quod nullas *essentiæ limites* habeat. Hinc *Ma. Dn. D. Calovius l. cit.* inquit: *conceptus & ratio ultimo constitutiva Dei rectius videtur constitui Dei infinitudo, quia natura divina secundum rationem formalem propriam, qua constituitur, per se primo in esse proprio, & distingvitur à quavis finita, infinita est, nec alia ratio propria ei assignari potest &c.*

§. 17.

§. 17. Atq; ex hoc apparet, à veritate remotissimum esse *Mendozam*, quando conceptum Dei proprium in vitâ consistere asserit. Ita enim *disp. 20. sect. 1. n. 20.* inquit: *In conceptu hoc includi rationem Dei, nullum potest esse dubium, quia Deum necessario apprehendimus in aliqua specie perfecta, vivens autem est omnium perfectissimum; ita & necessario intelligimus; Deo actualem vitam competere* Verum enim vero, licet ambabus (ut aiunt) manibus largiamur, Deum, vivere, vitâ scilicet intentionali, nequaquam tamen iste conceptus ad sustinendas vices formalis rationis est sufficiens. Nam uti per vitam Deus à reliquis spiritibus non distinguitur; ita multa dantur attributa, utpote immutabilitas, independentia &c: quæ nullo modo ex vitâ Dei deduci possunt. Atq; hæc documenta *Thomæ part. 1. qu. 14. art. 1.* cum assensibus suis opponi possunt, qui *Scientiam*, ut primum Dei concipiunt. Si enim ex infinitate & vitâ, tanquam abyssus perfectionum fluere scientia intelligatur, quomodo quæso conceptum primum constituere poterit? Tantum fanè abest à veritate, ut mirum sit, quemquam in tantum unquam errorem incidisse.

§. 18. *Watsonius* arripit aliam opinionem, quâ asserit, Dei proprium conceptum esse *immobilitatem*. Ita enim *Sap: Met: 6. ult:* inquit: *Motum rerum omnes facile agnoscunt, & admittere tenentur, nisi se ipsos tollere aut negare velint: Admissio enim motu, nemo ignorare potest aut debet Deum: Movetur quodlibet ab alio: & inter moventia quædam ab aliis moventur usq; ad primum motorem.* Sed & hanc sententiam esse falsissimam, satis sufficienterq; constat. Si enim motum attendit physicum [hyperphysicus namq; non datur, quia est affectio corporis naturalis] multis corporibus & spiritibus finitis repugnat. Quomodo ergo proprium Dei conceptum constituet? Finge vero, dari motum non physicum, non tamen immobilitas erit essentialis divinæ constitutum atq; discretivum in signo rectæ rationis. Afficit namq; spiritum præcisum à Deo & spiritibus creatio, adeoq; non Deo proprium quid, sed commune est. Atq; sic
sen-

sententia *Slezvogi* corrui, qui conceptum primum Dei in *ſe* subsistere collocat. Quippè *ſe* subsistere non solum creaturis cæteris competit, verum etiam nec radix reliquorum attributorum appellari potest.

§. 19. Neq; conceptus Dei proprius in eo consistit, quod potestatem & Imperium super omnes creaturas habeat. Probamus hoc [1] in genere, quia hæc definitio omittit conceptum Dei communem, qui tamen prætermittendus non erat. [2] in specie, quia [a] potentia formaliter distingvitur ab essentia, divina esse non potest, & consequenter nec primus Dei conceptus. [b] quia potentia non est attributum omnium primum, sed habet omnino aliquid se prius, ex quo fluit, summam scilicet Dei infinitatem & perfectionem, & consequenter nec radix ultima omnium attributorum esse potest [c] quia imperium est actus seu exercitium potestatis, quod multo minus, quam ipsa potestas, primus rei conceptus esse potest.

§. 20. Neq; tandem album calculum adjicimus *Suarezio*, qui putat essentiam ratione nostræ cognitionis ita esse constituendum, ut à parte rei est. Quamvis n. concedamus, attributa illa à parte rei cumq; essentiâ divinâ identificari, adeoq; ad objectivum Dei conceptum ratione sui omnino pertinere, quia tamen hic de Deo agimus, quatenus eum cognoscimus, & quia ratione distinctos de eo conceptus ob imperfectionem in intelligendo formamus, minus rectè attributa omnia ad primum Dei conceptum referuntur. Ac tantum de themate proposito.

Deo Spiritui infinito sit laus
& Gloria.









87

CADEMICA,

U IN.

TO,

re
UNO,
SIDIO
MANN MIRI,

n : ac Potentiff:
ia Alumni,

bim placida
rdosi ex-

helff TEUPITIUS,
Saxo.

ofus.
M. DC. LXXXI.
nsvetis.



RGÆ,
WILCKII.